


porali praesentia confitenda peccata non per nuncium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim Ora Monstrate, & Omnes: non unus pro omnibus, non alium statuas nuncium, qui pro vobis offerat munus à Mose statutum: sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Nec verba tantum hac nullius precii, pergunt Lectoribus ingerere, sed nec admonere eos sustinent, librum de vera & falsa poenitentia, ex quo ea citantur, non Augustini, sed alicuius multò recentioris esse.

CV Migitur Index ille Expurgatorius, de quo dicere coeperam, recudendus hic esset, & à me vir ornatissimus Dn. Lazarus Zexnerus peterit, si quid libri eius materiae affine aut cognatum haberem, ut cum pietatis verae studiosis communicarem: breuem hanc Censuram Romanam in glossas iuris Canonici, cum editione Gregoriana earundem Collationem adornandam putavi: non ut istud Augiae stabulum totum perpurgarem, id quod alterius opera, & longioris futurum erat temporis, sed ut aliis, & minus occupatis, & melius instructis, id faciendi ansam praeberem, auremque adeo eis vellicarem. Reperientur enim in editione Gregoriana iuris Canonici, & Decreti maxime, si diligenter ea excutiatur, & cum veteribus Exemplaribus conferatur, permulta, quae contra aduersarios nostros Pontificios utiliter poterunt observari.

Bene in Christo seruatore, Lector candide vale: Argentorato, Idibus Augusti, M D X C I X.

Iohannes Pappus D.



L E C T O R I.

ECce Concilii Tridentini factum, Lector, quo libros omnes de quocunque literarum genere in lucem editos censendos est sancitum; delegatis ad hoc viris impudentiane dubium an eruditione insignioribus, qui Romanae quicquid Ecclesiae non concineret, seueritate non censoria damnarent modo, sed & stylo verso penitus inducerent. Quod in variis

riis